

Falleris heus (mihi Musa refert:) non Martis iniqui,
Est furor hic, belli nullaq; signa vides.
Ingenuæ sed nunc gemmis auroq; puellæ
Splendent, ac violis florida terra nitent.
Hæc est illa dies, noster qua GOLTZIVS aram
Sponsus cum Sponsa, pictaq; templa petit:
Hæc est illa dies qua CHRISTVS corpora bina
Voce sacerdotis, pronubus ipse, ligat.
Hinc nova Sicelides capiunt nunc gaudia Musæ,
At Medusæi præses Apollo chori:
Te celebrare diem iucundo carmine, lætum
Et cantare viro nunc Hymenæe decet.
Namq; vir ille tibi constanti junctus amore est,
Sponsumq; affinem fata dedere tibi.
Recta mones: Tibi me fas est parère monenti,
Hoc nostræ poscit fœdus amicitia.
Gratulor ergo tuis, GOLTZI charissime, tædis
Gratulor, & thalamo gaudia cuncta precor.
Læta tibi Dominus felicis tempora vitæ
Concedat thalamum prosperet atq; tuum.
Ille tuam vitam longos extendat in annos
Atq; tibi tribuat quicquid habere cupis.
Sis igitur felix, sociam complectere castam,
Felix tam pulcrâ virgine Sponsus eris.
Et tibi de tali virgo ornatissima Sponso
Gratulor, & thalamo gaudia cuncta precor.
Hoc decet ex animo nunc te gaudere marito,
Ire, & in amplexus oscula mille dare.
Quot restat, pulcra facias hunc prole parentem,
Lætaq; sis mater, lætus & ille pater.

*Thomas Spindlerus
Cuius Iglauensis.*



HONESTO ET
ERVDITO VIRO,

DOMINO ANDREÆ PO-
sthumio Prageno, dum sacris Vit-
tebergæ, Anno 91. Maij 13 felici-
ter initiaretur.

(1591)

Matthias Borbonius Collega docen-
tium in Scholâ Mezericensi,
gratulatur.



Pragæ, Excudebat Ioannes Schuman.
Anno Domini 1591.

EST DEVS IN NOBIS, vitæ melioris ab illo
In cælis superas accipimus opes:
Quod patris est, Soboli victum dat, & addit amictum,
Semper ab hoc nobis fons fluit uber aquæ,
Nec tantum patrios in nostrum corpus amores
(Numinis hæc pietas est reticenda?) gerit,
Sed qua non dubiam spirando ducimus auram,
Est animæ fidus per loca cuncta comes.
Hoc altore fames membris ignava caducis,
In nostrum stringit spicula nulla latus
Nec, quod venturos nobiscum duret in annos,
Villa potest animæ sicca nocere sitis.
Ille Tyrannorum frustra ferventefurore,
Frustra Tartareâ bella moventemanu.
Agmen in æternos mansurum colligit annos,
Vnde celebratæ munera laudis habet.
Sive die laxatur humus, seu præpete freno
Lassat anhelantes Luna bicornis equos,
Salvifici multos divino munere verbi.
Ducit ad æternæ molle salutis iter.
Audent jam multi præferre volumina legis,
Fraude sed his satanæ nullus habetur honos.
Audent errantes ad ovilia ducere Christi,
Si modò quæ debent iussa sequantur oves.
Sed sacra quis curat promissæ jura salutis?
O feritas miti non toleranda Deo?

Saa. 7a



1997 KK 69
AKC. 16/39

Sancta salutiferæ ridemus munera vocis.
Est homo rara DEVM quiveneretur avis.
Quisquis in officio est, miser est, mala plurima, *perferre*
Proximus est illi cura laborq; comes.
A st nimis hic miseros inter numerabitur omnes,
Qui sacra legitimo munere verba docet.
Incipit: & terris animosi in prælia venti,
Ut casura putes omnia regna, ruunt.
Iam mare collectas multa vi exasperat undas,
Erutaq; ex imis fervet arena vadis
Advenit ingenij dux experientis, & artis.
Qui recubat stygias pervigil ante fores.
Nilq; animis aliud regum nisi funera svadet,
Ne verbi crescat gloria sancta DEI.
Non semel accenso, pedibus, manibusq; ligatus
Casta dedit mystes membra cremanda rogo.
Debile nunc collum nodatus fune retorto,
A trabe sublimi triste pependit onus.
Nonnunquam rigido trajectus viscera ferro
Purpureo madidam sanguine tinxit humum
Qui benè dissimulat nec apertè crimina taxat,
Hunc sequitur vulgi gloria, laus, & honor
Censorem refugit. NOLIME TANGERE: dicit,
Si pergis cervix ense petenda tua est.
Hinc ubi post varios satanæ mundiq; furores
Aut hoc aut aliud mortis adibis iter.

Qui

Qui tua conspicient liventia vulnera tabo
Hoc illi dicent garrula lingua dedit.
Cuius ab exemplo compescat munera vocis,
Qui lædit Dominum garrulitate suum.
Quod præcium levitas ingrata docentibus offert
Debuit hoc cædis sustinuisse, reus.
Tollitur è medio cultus pietate minister,
Christe levis res es sub pedibusq; jaces.
Sed nullum moveant incommoda tanta docentem,
Quo minus officij munera sancta colat,
Quin magis auxilio confisus Numinis, ure
Voce DEI mundum, quo magis ille furit.
Nec canis in vicijs mutus sis, crimina taxa
In mala quæ segnis censor es, illa probas.
Mox Deus hæc meritis compescet criminapænis,
Pæna DEI tacito, sed venit ampla, pede.
Nos igitur mundi quibus est exosa Tyrannis
Quiq; DEVM pura scimus amare fide
Accensi subitam vitemus Numinis iram,
Salvificasq; piè suscipiamus opes.
Nec temerè æterni damnemus semina verbi,
Quæ spargit docta concio sancta manu.
Ne subito immensis ad apertus hiatibus ingens
Nos super argentes urgeat Orcus aquas.
Aurea sed geminis sublata ad sidera palmis,
Oremus summo de genitore satum.

Insignes

Insignes studijs extrudat ut ipse ministros,
Ne pereat turpi vinea sancta situ
Extrusumq; sacros formet pietatis ad usus
ANDREAM, & flammâ desuper intus agat.
Conferat & donum dextrè ornatèq; docendi
Ore nec illius vox sine mente cadat.
Maçte tuis donis ANDREA cepta secundet
Vnde salus vena divite nostra fluit.
Vive piè, lege sancta, doce constanter, & ora,
Sic tibi contribuet mollia fata DEVS
Et Chisti gratas tuavoces audiet auris,
Cum dabit insupero ju ra verenda foro:
Euge meæ vocis custos ô serve fidelis,
Sancta serenati suscipe regna poli.
Hæc ego, IOANNES qua quôdâ est HVSSIVS ustus,
Inclusi teneris paucula, luce, modis.
Fallor? an illius vestigia sancta secutus
In cælis precium pro pietate feres.


NIHIL FIT SINE CAUSA

Quicquid ago, prudenter ago, si pectore causas
Rumino, nec præceps qua data curro via
Qui sapit, is casus circumspicit ante futuros
Quàm sua det rapidis vela ferenda Notis.
At quod nulla regit pectus cordata sinapis
Degustat dubias sortis in orbe vices

Omni

Omnibus in rebus vel ut umbra volubilis errat
Et levis hunc quo vult quælibet aura rapit.
Sic sibi sic alijs accersit damna, nocetq;
Si qua conatur parte juvare suos.
Ne permitte DEVS me sic errare, sed urge
Nostrum opus ut laudi serviat omne tuæ.

Andreas Posthumius Pragenus.



Carmen ad Nuptias

REVERENDI IV.

XTA AC DOCTI VIRI, DOMINI ANDREAE POSTHVMII PRAGENI verbi divini ministri, Sponsi: & laudae pudicitiae eximiae puellae Dorotheae, filiae Ioannis Gabrielis, alias Ianeczek quondam civis Pacoviensis Sponsae.

Scriptum. à

MATTHIA BORBONIO, Cantore in illustri Gymnasio Mezericensi ad Oslavam.

Celebrantur 2. Octobris, Anno,

Sit fort Vnat Vs, Vigeat sit tVt Vs ab astro,
QVeM petis AnDrea, sit sine Labe tor Vs.

Summus amicitiae gradus est fidissima coniux,
Hoc durum vitae molle putatur iter.
Non ita cum socia ventos horremus & undas,
Non ita mensurae vela caduca ratis.
Scilicet haec vita est pelagus, nautaeq; mariti,
Sed miseri, CHRISTVS nauta ubi verus abest.
Murmura ventorum sunt dura pericula rerum:
Æolus est rapido luridus ore Satan.
Hic ventos stygijs furiosos mittit ab antris,
Conjugijq; premit quae licet arte, ratem.
Ringitur ut cernit nomen caeleste professos,
Ringitur & nunquam tempora legnis agit:
Occurrit, tentatq; aditum, subducere remos
Nititur, & summo mergere vela mari.
Iam tantos montes trepidarum cogit aquarum,
Ut dejecturos sidera summa putes:
Iam liquidum vasto dispelcit marmor hiatu
Mox ut credantur tartara nigra peti,
Hinc ubi nil aliud, nisi fata novissima, restat,
Et propè tam lethum quam piopè fertur aqua,
Vnanimè ambo, coniux, fidelq; maritus
Solicitant humili numina sancta prece:
Ah DEVS ingeminant, audi DEVS, annue votis,
Comminui quassam desine velle ratem.

B

Respice

Respice luctantes sub iniquo pondere nautas;
Nī prohibes avidis piscibus esca sumus.
Ille statim, nostros semper quia mollis ad usus,
Aure bibit castas non renuente preces.
Nec mora spumiferos compescit in æquore fluctus,
Antra petunt iussi quā data porta Noti.
Stat mare tranquillum; nec, quas tulit, antè procellas,
Tuta Dei Nato remige cymba, timet.
Scilicet unus amor lecti quos fœdere junxit
Hi demum ardenti pectore Numen amant.
Hi demum ardent, dum res gravis imminet orāt.
Quamq; piè sperant experiuntur opem.
Et, nostram fuso miseratus sanguine malsam
Quo mitis flagret CHRISTVS amore vident.
Viva sacer torus est cœlestis amoris imago,
Vt sponsus sponsam nos ita CHRISTVS amat.
Cedite qui scortis operam sine fine protervi,
Et proni in quævis crimina tetra, datis.
Vt DEVS est castus, sic corpora casta tuetur,
Et precium casti dona salutis habent.
Impuri meritas solvent pro crimine pœnas,
Fumat ubi rapidis igneus Orcus aquis.
Non nego, quod quemuis cogit res ipsa fateri:
Multa maritalem tristia ferre torum.

At

At quot habet laqueos (horret pia lingua referre
Horret mens tantis intemerata malis.)
Quot laqueos secum cælebs custodia vitæ,
Quos carni stimulos, quantaq; flagra, gerit!
Iam matura suos simul est in flore iuventus,
Coniugijq; fugit dulce iugalis onus.
Mox, canis ut lustrum venaticus, illa lupercal
Acta vagis flammis irrequieta petit.
Vtq; peragrata lassus regione viator
Quamlibet immundo diluit amne sitim:
Hæc ita (ne castos lædamus, abeste) furorem
Illo qui prior est explet amore, suum.
Sic tibi dispereunt juveniles turpiter anni,
Heu mala quæ tandem vita futura dabit!
Conspicias scabie multos prurire jacentes
Quæ nos parte DEVS iusserat esse viros.
Ante diem quosdam morbis abrumpere vitam,
Exhalare animam, funeris ante diem.
Et, si quos vultu Numen propiore tuetur
Vt capiant thalami gaudia fera sui:
Aut horum sterilis, fructu nec ventris abundat,
Nec fido constans est in amore torus:
Aut infelicem dubio dat semine prolem,
Plaga parentibus hæc tartarus esse potest.

B 2

Non

Non loquor expertus, visa atq; audita retracto,
Subscribit verbis, tæmina, virq; meis.
Cur ita sit quæres? DEVS est justissimus auctor,
Nec falli tacitus se finit ille dolis.
Per quæ quis peccat, peccatis punit iisdem:
Prædo diu nullas possidet ullus opes:
Non impunis abit quisquis temerare cubile
Audet, & alterius sollicitare torum.
A tergo pœnas sibi sentiet esse paratas,
Quam fovet, vxoris mæchus amore furit.
Quicquid delirat monitis aduersa iuventus,
Eluit id pœnis cana senecta suis.
Nec levis hic plagas carcer vitæ eximet omnes,
Crimina nî cessent, plaga perennis erit.
Talia nulla dabit socialis copula lecti,
Non mala, nec pœnas, commoda multa, *feret:*
In ventos abiit primævi flamma calor
Perdidit & vires estq; sine igne cinis.
Iam geris in gremio quod ames, cunctosq; per annos
Quod flagret casto cordis amore tui.
Si pius es, meritoq; DEVM celebrabis honore,
Quicquid habebis opus semper habebis opem.
Iam tua prole domus, iam nullis indiga rebus
Crescet, & optatas accumulabit opes.

Si tamen

Si tamen interdum grauibus penuria telis.
Irruet, & nullus farris acervus erit,
Trade DEO vitam, DEVS est qui pascit e gentes,
Sed vult à nobis cum pietate coli:
Vult nos cum votis operas conjungere: vult nos
Exercere preces cum precibusq; fidem.
Polce, dato victu, mollem donabit amictum,
Quæ dat, frugali sunt retinenda manu.
Quid corvo nigrius? corvo quid fœdius? illum
Omnipotens parria pro pietate fovet.
Non est Corvus homo, longè præstantior ille est
Hunc non supremus conditor orbis alet?

Dum secum tacita reputavit talia mente
ANDREAS, Clarij pars quotacunq; chori
Quem DEVS instituit sociali indulsit amori,
Sicq; DEI casto pectore iussa colet.
Eveniat Monachis vacuo dormire cubili,
Sparsaq; per totum voluere membra torum.
Te decet ista DEO nulli prohibentē voluptas,
Viuant quos aliter vivere posse iuvat.
Alpice, jam THEODORA tuus venit ignis ad aram,
Et flexo supplex est tibi facta genu.
Quin etiam totam tibi se commendat habendam:
Auguror hoc grato pectore munus habes.

B 3

Et cur

Et cur non habeas? multis est dotibus auctum,
Iamq; tuæ vitæ dulce levamen erit.
Id donum THEODORA Dei, venerabile donum,
Exigat hic longos & sine labe dies
Gaudia multa tibi, sed gaudia sancta marito
Præbent, & thalamo non sit iniqua tuo.
Pareat & pariat, prolem benè tractet, & vltro
Sit studiola DEI, sit studiosa tui.
Vivite felices, ambo sic vivere digni,
Nulla torum affligant jurgia, nulla domum.
His magis ut CHRISTI faveat clementia votis
Adjice sponse tuas tu quoq; Sponsa preces.

